Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1447
Quelle:
Copyright:

Hunc rex exhilarat qui legem ſibi colorat.

Verum aut in illo numero omiſſum eſt C unum, aut *Codex* fortaſſis adlatus ex *Anglia*, qui Librario noſtro Exemplum fuit, illum annum praetulit.

CCCLXXXI.

901 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 266. 4. prioribus per omnia geminus continet prolixum Opus Capitum 27. *Joh. Wicleſi*, cujus Inſcriptio unacum folio Thecae anteriori adglutinato deperiit. Incipit vero: *Ut ſupradicta de lege chriſti in genere plus luceſcant, oportet ordiri ſecundum aliam formam. tractando de religione uel ordine.* &c. Tractatum *de Religione perfectorum* memorat *Baleus*, ſed alio initio, item *de Ordine Chriſtiano*, ſed absque initio. Ego Noſtrum ad *Summae Theologicae* Partem I. *de Mandatis* pertinere crederem, niſi ea in *Cod.* ſuperiore *completa et perfecta* dicta fuiſſet. Finit: *in quo non ſit neceſſe procuratorie ſic orare.* Agitur enim de Suffragiis pro Defunctis. Accedit Capitum Elenchus.

CCCLXXXII.

902 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 254. 4. ad praecedentes pertinens continet *Joh. Wicleſi* Opus inſcriptum: *Primus liber de ciuili dominio. De ſumma ſua in Theologia tertius in ordine.* Initium: *Tractando de ciuili dominio hominis ſuperaddito naturali* &c. *Fol.* 153. incipit *Liber* II. uterque poſt ſe habet Elenchum Capp. quorum poſterior perperam Libro *quarto* tribuitur. *Baleus* aliud huic Operi initium ſtatuit. De Opuſculis *Wicleſianis* tam in hac V. Tomorum Collectione, quam in aliis *Codicibus* contentis monendos cenſeo Lectores, ſatis mihi viſum eſſe, ſi, ubi recurrunt, ad *Indicem* generalem adpellem.

CCCLXXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. 939
XV. Folior. 236. 8. nitide perſcriptus et rubricis diſtinctus continet alphabeticos Indices Rerum praecipuarum in *Joh. Wicleſi* Opera, videlicet: *Tres Tractatus de divino Dominio: Super Decalogum. Tres Libros de Civili Dominio.* Indices hi ad Collectionem V. Tomis conſtantem et *Codicibus* CCCLXXVIII — LXXXII. comprehenſam pertinere videntur; manus enim Librarii eadem eſt.

CCCLXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. 873
XV. Folior. 215. f. per 2. columnas charactere atro, craſſo ſcriptus, ut videtur, in *Bohemia*, rubricis diſtinctus, et quibusdam locis aliquantum picturatus continet plura *Joh. Wicleſi* Opera, ejus